

qualem Athanatos, apud Plin. l. VII. cap. XX. quingentorum pondo. Quomodo tales tam difficilem viam celeriter præsertim percurrant? Hinc tam pauci divites et principes ex Judæis crediderunt in Christum, ut fatentur ipsi, Joan. VII. Nicodemum et Josephum ab Arimathæa novimus cum paucis Publicanis: plures ignoramus. Laborarunt etiam apostoli eorumque posterii per annos trecentos, donec aliquem suo piscatu imperatorem caperent, saltem qui christianæ fidei vexillum erigeret.

V. *Ecce magi* Jerosolymam ingrediuntur regio comitatu, et in ea Salvatorem, seu Messiam Judæorum, prædicant Judæis; sed nemo eos audit aut sequitur euntes ad Christi incunabula. E contra, audito eo præconio, Herodes rex turbatur, et omnis Jerosolymacum illo: Jerosolyma, inquam, civitas pacis. Quid magis admirandum atque paradoxum? Tres reges prædicant Christum ex divino testimonio, accedente etiam Judaici concilii suffragio; et tamen fidem non obtinent, nec vel unum sui sectatorem habent. E contra rex Hebræorum illegitimus, Idumæus et intrusus, iras in Christum concipit ac turbatur, cumque ipso omnes. Tres ad sequelam Christi vocantes reges nemo unus sequitur: unum ad interitum Christi vocantem sequuntur omnes. Apparuit igitur quanto potentius sit exemplum principum ad facienda mala, quam ad bona. Quod sane fatentur sacerdotes illi, Agg. II. 7 XII. interrogati, an sanctificaretur qui tetigisset carnem sanctificatam, responderunt enim: Non. Iterum interrogati, an contaminaretur qui tetigisset aliquid immundum, et responderunt: Contaminabitur. Nimirum, uti Sanctus Augustinus, l. uno contra Fulg. Don. cap. XVI. explicat, proclivius ad imitationem malorum currit, quam ad virtutes bonorum animus excitatur: « Sicut mellis plurimo parum abinthii injectum velocem amaritudinem trahit; mellis vero, etiamsi duplum injiciatur, non potest ejus obtinere ducendo. » Plurimum vero in hac re valent principum exempla mala. Quemadmodum enim si eryngium in os capræ, quæ agmen ducit, immittatur, græx totus sistit, teste Plut. de sera num. vind. ita si superiores re aliqua offensi sistant in proposito malo, etiam subditi consistent, et quidquid illi egerint, imitantur. Eryngium, spinosam herbam, immisere in os Herodis magi, nuntiantes natum regem Judæorum: conturbatus inde Herodes conturbat æcum totam Jerosolymam; ita ut omnes attoniti hæreant, nullus præ stupore pedem moveat ad requirendum Christum, licet admodum propinquum. Simile quid legimus, II. Reg. II. de Asaele, insigni Davidis milite et velocissimo cur-

sore, (Quasi uno de capreis, ut ait s. textus) qui cum hostem persequens fugientem, ab eo confosus esset, fregit animos, retardavitque gressus totius exercitus Davidici: *Omnesque qui transibant per locum illum, in quo ceciderat Asael et mortuus erat, subsistebant.*

VI. *Ecce magi*, homines gentiles, in mediis ignorantie tenebris inveniunt et auferunt thesaurum incomparabilem, quem Judæi in luce fidei et Scripturarum nec agnoverunt nec curarunt, sed offenderunt potius in gemmam pretiosam, velut in lapidem offensionis, ad Rom. IX. sic gentiles, designati per Jacob, fratrem minorem, præripere benedictionem Judæis, designatis per Esau. Videor mihi videre etiam Magdalenam in his magis, Pharisæo, hoc est, Judæis, Christi gratiam præipientem, Luc. VII. Invitatus a Pharisæo Christus venit in ejus domum, accedit etiam aliquanto post Magdalena, et quidem non invitata; sed abstulit e domo Pharisæi thesaurum, quem ille nec agnovit nec quæsivit. Venit enim cum tribus pretiosis muneribus; cum lacrymis, quibus lavit Christi pedes; cum osculo, quo eos prona in terra osculata est; cum unguento, quo perunxit. Hinc audire meruit: *Remittuntur tibi peccata: et: Fides tua te salvam fecit, vade in pace.* Nihil tale Pharisæo dictum; unde designavit hic Judæos, qui per tot sæcula invitarunt Christum in domum et synagogam suam, ut ad eos veniret. Venit Christus et accubuit in Bethlehem, civitate David, sicut facturum se prædixerat per prophetam; verum ipsi non agnoverunt nec æstimarunt illum; veniunt eo magi, velut in alienam Pharisæi, hoc est, Judæorum domum; sed videte eorum obsequia, et urbanitatem: veniunt et ipsi haud dubie cum lacrymis, partim præ gaudio magno, partim præ dolore peccatorum suorum, quibus sordes pedum propriorum abstergant: veniunt cum osculo, quia procidententes adorant eum, et ut Isaias, c. XLIX. prædixit: *Pulverem pedum ejus lingunt: veniunt cum unguento, quia attulerunt ei munera pretiosa, quibus paupertatem Christi sublevarent: venit Magdalena cum lacrymis, osculo et unguento: veniunt magi cum auro, thure et myrrha. Itaque et ipsis non solum remissa sunt peccata, sed salus etiam impensa, dimissique sunt in pace, moniti ab angelo, ne redirent ad Herodem. Ea uti Magdalena ex aliena Pharisæi domo abstulit salutem et cælestem thesaurum: ita etiam magi e synagoga Judæorum Christum, quem ipsi spreverunt. Poterat igitur Christus dicere Jerosolymæ, quod dixit Pharisæo: *Intravit domum tuam, et aquam pedibus meis non dedisti: hi autem lacrymis rigarunt et basiarunt et unxerunt pedes meos, etc. O altitudo divitiarum sapientie et**

## CONCIO V.

CHRISTUS ERGA MAGOS ET HUMANUM GENUS  
HUMANUS ET QUASI AULICUS.

Christus in hac apparitione benignus, et humanus — I. Quia prior ipse, licet offensus, mittit ad eos qui offenderunt. — II. Quia stellam eis prætulit toto itinere quasi facem. — III. Quia munera sibi oblata magna discretionem accepit. — IV. Quia pro parvis muneribus maxima rependit. — V. Quia cessit furori Herodis.

## THEMA.

*Ex te enim exiit dux, qui regat populum meum Israel.* Matth. II.

Hodierna festivitas, Græce *epiphania*, Latine *apparitio* nominatur. Quæ hujus rei causa? Quid hodie apparuit? Id exponit S. Paulus ad Titum, c. III. scribens: *Benignitas et humanitas apparuit Salvatoris nostri.* Apparuit certe nuper in ejus nativitate et circumcissione (ut nil dicam de hominis creatione et conservatione); hodie vero multo magis, quando se gentilibus benignissime manifestavit, eosque in gratiam recepit, qui ab ipso prius alienissimi fuerunt: hodie se ostendit vere ducem esse, juxta Michææ vaticinium, c. VII. quando stella prævia perduxit ad se magos: ducem, inquam, benignum et humanum, adeoque, ut sic loquar, vere aulicum et civilem. Nemo jam dicere audeat cum servo illo pigro et malo Dominum nostrum austerum et severum esse. Contrarium hodie apparuit. Id quod nunc accuratius expendemus.

I. Quia prior ipse, licet offensus, mittit legatos suos ad eos qui offenderunt, homines cupiens eis reconciliari. Mittit enim stellam, ducem angelo ad magos, homines gentiles, inanium deorum cultores, vocans eos *de tenebris in admirabile lumen suum*, offerens eis reconciliationem et gratiam suam; quemadmodum et ad Judæos pastores paulo ante miserat angelum suum, idque usque hodie facit, vocando peccatores ad reconciliationem et mensam suam, denique ad regnum suum. Nos Deo prosterni, nos libellos supplices offerre deberemus, ut in gratiam reciperemur, ad mensam ejus admitteremur, et regni ejus participes fieremus: sed quia nos inciviles et humani sumus, vult nos prævenire, sicuti testatur apostolus, II. Cor. V. *Pro Christo legatione fungimur, tamquam Deo exhortante per nos.* Ad quid vero exhortamini? *Obsecramus pro Christo, reconciliamini Deo.* Deus bone, Christus per legatos prior ad nos venit, et obsecrat, ut cum ipso in gratiam redeamus? Quem non moveat, et quidem ad calentes lacrymas, tanta Christi benevolentia et humanitas?

Unde S. Greg. hom. XXXII. in evang. ait : « Ecce inter nos et Deum discordiam peccando fecimus, et tamen ad nos Deus legatos suos prior misit, ut nos ipsi, qui peccavimus, ad pacem Dei rogati veniamus etc. » ipse adhuc : « Expectat Dominus, ut misereatur vestri. » Isa. XXX.

Ad hæc, suaviter ac comiter vocavit, ut facile sequerentur, allecti illecebra sibi congrua et amabili, stella videlicet indice, qui siderum cursum et virtutem edocuit, astrologiæ vacabant. Rursum Herodem etiam per exemplum magorum, et responsum sapientum. Sic et prius pastores, veluti Judæos (quia legem ab angelo acceperant, et angelorum interventu multa alia beneficia) per angelum vocavit, adhibita suavissima angelorum melodia : sic postea Petrum piscatorem copiosa piscium captura, velut ipsi gratia, comiter ad se traxit. Cum bovem vis allicere, non ostendis ei carnem, sed fœnum ; cum canem, non fœnum, sed carnem ei ostendis. Ita egit Christus Dominus, vere igitur benignus et humanus fuit. Neque solum cum illis, sed nobiscum etiam quotidie sic agit. Temperat nobis et jucunde variat tempestates anni per quatuor ejus partes : æstum solis mitigat per nubes, imbres, ventos : singulis fere æstatis mensibus singulas dat fruges, alias et alias : *Ligat aquas in nubibus suis, ut non erumpant pariter deorsum*, ait Job, c. XXVI. guttatim enim eas quasi per cribrum distillat, ut suavius excipiantur a nobis, et a terra imbiantur, neque eam subvertant. Similiter : *Dat nivem sicut lanam*, Ps. CXLVII. quasi carminando eam, ne simul ingenti copia conglomeratim decidens, nos opprimat. Providit nobis non necessaria solum, sed etiam quæ ad delectationem faciunt : oculis tot flores ; naribus tot odores ; auribus tot avium et musicorum cantus ; gustui tot avium piscium, quadrupedum, condimentorum quoque, et aromatum varietates ; tactui tot animalium pelles, sindones, telas sericas, lineas, bombycinas : omnia denique creata ut servirent nobis. Quis non videt Dei benignitatem et humanitatem ? Ecce vero, nisi ut nos quoque erga ipsum humani et benigni essemus, eaque quæ delectant ipsum, vicissim ei rependeremus ? Deliciæ ipsius sunt esse cum filiis hominum : et cur non eum sapius introducimus ad nos per s. communionem ? Cur non quotidie ipsum salutamus, et obsequia nostra deferimus in sacra missa ? Qualis hic aulicisimus, suas commoditates et delectationes quærere, ducem interim suum relinquere ?

II. Quia stellam quasi faciem, angelo duce, magis prætulit toto itinere ; tum ne a via aberrarent, tum ut iter illis jucundius et quasi suave vehiculum foret. Magna sane et plusquam regia civili-

tas fuit illa Caroli V. imperat. cum Seldio Ferdinandi fratris legato et suo olim ministro Ulissin-gæ candelam noctu usque in conclave manu sua prætulit, in monumentum gratitudinis ob ejus ministeria sibi olim præstita, teste Cythr. orat. de Carolo V. At infinitus plus erat, cum Dominus gloriæ servis suis magis stellam illam prætulit. Quid enim grati servitii ab illis unquam accepit aut accipere potuit ? At hoc ipsum nunc quoque præstat, et primo iis qui ab Ecclesia deviarunt, ut ad eam redeant. Qualis enim lux estss. patrum consonantia, sanctitas, antiquitas ? Tot Concilia ex sapientissimis præsulibus conflata ? Tot viri sancti et ordines erecti ? Hæresum depressio, confusio et distractio, novitas, inanitas ? Vita et mors ignobilis hæresiarcharum ?

Deinde, iis qui in Ecclesia sunt, quot conciones, quot libri, quot exempla virtutum, quot viri sunt religiosi, tot lucernas præfert.

Nos ergo sequi tantum lumen nobis jam accensum quomodo non debemus ? Quis enim nisi stupidus aut cæcus, e tenebris prodire ad lucem detrectet ? Quis in tenebris densissimis ambulare potius, quam ad faciem sibi prælatam velit ? Sed nimirum : *Hoc est judicium mundi, quia lux venit in mundum, et dilexerunt homines magis tenebras, quam lucem*, Joan. II. Quia et aliqui lucis hujus osiores eam extirpare conantur.

III. Quia munera sibi oblata magna cum cautela et discretionem accepit, matricem accipiendâ dictavit. Nam ea, quæ a magis velut opulentis oblata sunt, vel delibavit tantum et de singulis modicum quid accepit, necessitatis et mysterii causa, ut vult Abulensis, vel si ex toto accepit, pauperibus distribuit, ut vult S. Bonavent. unde in purificatione non nisi pauperum munus obtulit. Deinde, si a divitibus munera accepit, certe non accepit, multoque minus petiit a pauperibus pastoribus ; nihil enim tale de ipsis scribitur, quale de tribus magis. Ecce tibi humanitatis et civilitatis magistrum. Munera igitur a divitibus oblata, si civilis esse velis, vel delibanda tantum, vel pauperibus distribuenda, vel omnino respuenda sunt. Delibavit quasi Thomas Morus cancel. Angliæ, cum in eum poculum sibi a vidua, cui causam æquam adjudicarat, dono oblatum, vino impletum præbuit et restituit, Staplet. in vita. In pauperes distribuit P. Gonsalvus Sylveria soc. nostræ centum boves et multam auri summam, oblatam sibi a rege Monomotapæ, ut in 1. tom. anal. soc.

Indicet nunc qui vult, an aulici dicendi sint illi, qui cum opulenti et prænobiles sint, a pauperibus subditis, honoraria emungunt sibi aut suis

uxoribus ultra annum et debitum censum. Certe David aquam effudit, allatam sibi a tribus viris strenuis de medio castrorum hostilium, non sine periculo vitæ ipsorum et sudore, addens : *Nun sanguinem hominum istorum bibam ?* II. Reg. XXIII. Quid vero pecuniola pauperum subditorum, nisi sudor et sanguis illorum ? Et qui istum bibunt aulici reputentur ? Benigni et humani ? Clementes domini appellentur ?

IV. Quia pro parvis muneribus maxima rependit. Contulit enim ipsis fidem et cognitionem veri Dei : attulit ingens gaudium, contulit et gratiam et in ea perseverantiam : addidit præsidium et securitatem vitæ contra insidias Herodis, monens eos ut per aliam viam redirent in propria : denique, beatam mortem et immortalem gloriam, partim hic in tæris, ut simul omnes tres indivisi jacerent in sarcophago, colerentur ab universo orbe, partim in cælis. Hoc est benignum et humanum, hoc vere aulicum, pro parvis muneribus magna reponere. Ita solent facere reges. Artaxerxes Persarum rex Sinætæ cuidam pauperi, aquam vola sibi offerenti, donavit vicissim mille Daricos cum phiala aurea et stola Persica, teste Æliano, l. I. var. c. XXXII. Ludovicus II. Galliarum rex Cononi rustico pro rapæ unius munere oblato, jussit numerari mille aureos, apud Maiol. to. II. canie. de aula et caula.

Christus ipse dixit, teste S. Paulo, Act. XX. *Beatius est magis dare, quam accipere*, ergo et magis aulicum et honestum. Dare est regale ac divinum, accipere est vile et plebeium : dare est virtutis, scilicet liberalitatis, accipere est necessitatis : dare est opulentorum, accipere est pauperum.

Hanc vel similem liberalitatem erga nos etiam Deum quotidie ostendit, dum pro exigua oratione (qualis erat Publicani) vel eleemosyna (qualis viduæ illius) retribuit magna, cibos, vestes, aurum, sanitatem, bona spiritalia. Et quis erit tam incivilis, ut dare nummum pro cælo nolit ? Orare

detrectet ut cælestium nuptiarum deliciis perpetuo fruatur ?

V. Quia cessit furori Herodis, discedens in Ægyptum. Nobile hoc et gloriosum est, cum sanæ mentis homo cedit insano, major minori. Insanus fuit Herodes, minor et infirmior hoc ipso, quo iratus. Grandes molossi cedunt catellis : elephantes, oviculis et porcis. Sic Jacob cessit iræ fratris sui Esau, discedens in Mesopotamiam : sic Abraham cessit Lotho, quam vellet regionem, dando ei optionem : *Si ad sinistram ieris, ego dexteram tenebo ; si tu dexteram elegeris, ego ad sinistram pergam*, inquit, Gen. XIII. plane comiter et aulice, ut discordiam sedaret. Facillimum erat Christo extinguere Herodem : sed magis gloriosum erat fuga eludere ejus furem et astutiam, magis humanum et benignum. Eandem benignitatem quotidie adhuc exhibet peccatoribus, qui ad iracundiam eum provocant : dissimulat enim quasi nescius, et tacet, ut eos sua benignitate vincat. Unde apostolus ad Rom. II. *Ignoras quoniam benignitas Dei ad penitentiam te adducit ?* At tu valde incivilis es, si Dei benignitate abuteris. Undemox subdit apostolus : *Secundum autem duritiam tuam et impœnitens cor thesaurizas tibi iram in die iræ.*

Quare si viderit Deus et dux noster se, cum suis aulicis nihil proficere, severitatem exeret. Sic medici, cum vident ordinaria remedia non proficere, contraria adhibent. Mutabit enim Christus naturam suam, et ex dulci vino fiet eis acetabo, absinthium et fel : *Cibabo eos absinthio, et potabo eos felle*, ait Jerem. XXIII. ex aulico fiet ursus : *Occurram eis quasi ursæ, raptis catulis*, Os. XIII. ex flore spina : *Quis dabit me spinam et veprem in prælio ?* Isa. XXVII.

Nos vero amplectamur toto pectore benignitatem et humanitatem Salvatoris nostri Dei : et vicissim demus operam ut simili benevolentia, humanitate et promptitudine eidem obviamus, ejusque voluntatem non ut mancipia et servi, sed ut dilecti filii magna alacritate et charitate per omnia faciamus.